

peremus. Ideo enim Deus læta tristibus permiscet, ut animam ducat ad passionum æquilibrium, in quo ejus virtus et perfectio consistit, uti pulchre docet S. Bernardus *serm.* 6 inter parvos: «Istæ affectiones ordinatæ, inquit, virtutes sunt; inordinatæ, perturbationes. Si timorem sequatur tristitia, desperationem generat; si amorem lætitia, dissolutionem. Sequatur ergo timorem lætitia, etc.; comitetur lætitiæ tristitia, quia moderate læta amplectitur, qui tristitia reminiscitur. Temperet ergo lætitiæ tristitia: temperata lætitia nihil aliud quam temperantia est.»

28. QUONIAM FACILE EST CORAM DEO IN DIE OBITU RETRIBUERE (perperam et subdole Tigurina vertit, *referre gratiam*, ad elidendum merita bonorum operum) UNICUIQUE SECUNDUM VIAS SUAS, —puta secundum actiones, opera et merita sua; hæc enim sunt viæ ethicæ sive morales, in quibus incedit et inambulat homo. Dat causam cur in die malorum memores esse debeamus bonorum, et vice versa, quia scilicet Deus cuique mercedem pro meritis retribuit, sæpe quidem in hac vita, sed semper in morte. Unde liquet sententiam jam dictam: «In die bonorum ne sis immemor malorum,» etc., maxime spectare ad bona et mala futuræ vitæ, uti superius ex Rabano dixi. Indicat enim hic Siracides Deum in hac vita non raro piis adversa, impiis prospera immittere, juxta illud *Eccles.* cap. viii, 14: «Sunt justi quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum; et sunt impii qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant;» in morte autem certo pio cuique præmium, impio pœnam pro meritis assignare.

De impiis res clara est: hi enim in morte subeunt iudicium particulare, in quo accepta damnationis sententia illico rapiuntur in tartara. De piis res obscurior est, quia ævo Siracides justi omnes descendebant in infernum ad limbum patrum; necdum enim cœlum erat apertum, sed Christi morte reserandum. Quomodo ergo tum pii in die obitus mercedem recipiebant? Resp. Recipiebant eam, quia subibant iudicium particulare, in quo accipiebant sententiam felicitatis et beatitudinis, eamque illico inchoabant. Nam introibant in sinum Abrahamæ, sive in limbum patrum, ibique consummati in gratia, liberi omni metu et miseria, certique de gloria cœlesti, fruebantur Dei contemplatione, et mutuo tot Patriarcharum, Prophetarum, Martyrum et Sanctorum suavissimo aspectu ac colloquio, expectantes Christum, qui cœlum eis reseraret, eosque Dei visione beatifica donaret. Illico ergo inchoabant suam felicitatem, sed post et per Christum, qui obicem cœli peracta mortis suæ satisfactione erat reseraturus, eandem erant consummaturi. Jam autem post Christum obice hoc sublato, et satisfactione peracta, illico omnes animæ justæ plene a peccatis purgatæ, evolvant in cœlum, et Dei visione beantur. Idque significat hic Siracides. Errat ergo Calvinus, qui animas justas dormire censet, et quiescere sub

altari usque ad diem iudicii. Vide Bellarminum, lib. I *De SS. Beatitud.* cap. ii et seq., et Gabrielem Vasquez loco mox citando, et Suarez III *part.*, tom. II, Quæst. LIX, disp. xxxii.

Dices: Siracides non dicit Deum in die obitus actu retribuere cuique mercedem, sed tantum facile esse Deo cuique retribuere. Respondet noster Gabriel Vasquez I II, Quæst. IV, disp. xix, cap. ii: «Vox facile est non tantum significat possibile esse Deo, sed Deum facili negotio, et absque labore in die obitus retribuere. Nam si solum denotaret possibile Deo esse, non exhortaretur ibidem nos Sapiens ad bona opera: namque ex possibilitate præmii debile sane sumeretur incentivum laboris; at ex facilitate qua Deus retribuit, magnum certe ducitur argumentum exhortationis. Neque obstat quod tempore quo hæc scripta sunt, nemo admitteretur ad visionem claræ Dei: nam Sapiens indefinite loquitur, et intelligi debet secundum temporum diversitatem; tunc enim cum nondum Christus ingressus esset cœlum, mirum non est si retributio visionis differretur.»

Itaque in *facile est retribuere* est misis et charientismus, significans facillime, certissime et plenissime Deum retribuere. Sed dicit, *facile est*, ad animandum justos pauperes et pusillanimes; sic enim ad animandum amicum afflictum partim urbanitatis, partim fiduciæ causa dicere solemus: Fidas mihi, rem omnem mihi committe; facile est mihi te adjuvare, id est, ego omnino te adjuvabo. Sic Paulus ait II *Corinth.* ix, 8: «Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis,» *potens est*, id est, potenter et certo abundare faciet, uti ibidem dixi.

29. MALITIA HORÆ OBLIVIONEM FACIT LUXURIE MAGNÆ. — Probat alia ratione id quod dixit vers. 27: «In die bonorum ne sis immemor malorum,» quia scilicet sæpe post diem bonorum sequuntur dies malorum; in qua malitia, græce *κακία*, id est afflictio, horæ, hoc est, horaria et brevis, oblivionem facit luxuriæ, id est luxus, et, ut græce est, *καταρσις*, id est deliciarum et voluptatis, etiam maximæ. Unde S. Hieronymus, lib. XVIII in *Isaiam*, sic legit, *afflictio horæ oblivionem facit deliciarum*; Syrus, *malum diei invenies bonum, et finis hominis erit semper eum*; Tigurina, *difficultas temporis affert oblivionem deliciarum*. Nam, v. g. ait Rabanus: «Cum febris valida, paupertas grandis, arripuerint hominem, omne tempus quod in sanitate et deliciis ante consumebat, in oblivionem tradit, et sola miseria vel ægrotudo occupatum illum tenet, nec jam aliud cogitare permittit; vel, si aliquando et in cruciati constituto quiddam pristinae felicitatis in memoriam venerit, nequam illi refrigerium præstat, sed pœnam accumulat.»

Porro, hoc sæpe verum est in vita, sed semper in hora mortis, de qua hic sermo præcessit, et sequitur; hæc enim est hora ultima, adeoque

horizon temporum et æternitatis, adeoque vocatur hora antonomastice. Mors enim adimit homini omnem sensum voluptatum præteritarum, ac cruciat sensu dolorum præsentium æque ac futurorum, imo imminetium in purgatorio vel inferno. Ita dives Epulo, in flammis gehennæ omnis suæ epulationis oblitus, non aliud cogitavit, aut dixit, quam: «Crucior in hac flamma.» Idem faciunt damnati omnes, quos occupat oblivio, et quasi lethargus omnis sensus voluptatis, at non culpæ. Mire enim cruciat eos, dum cogitant quod sua culpa voluptati tam vili et modicæ indulgendo, tantas pœnas, easque æternas, sibi accersiverint, quas iam facile abstinendo a voluptatibus, vitare potuissent, imo cœlestia et æterna gaudia promereri, uti videbunt fecisse Sanctos omnes, ideoque inconsolabiliter lugebunt, dicentque illud *Sapient.* v, 8: «Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra.» Id significarunt Poetæ, cum apud inferos posuerunt Lethen fluvium, ejus potus oblivionem præteritorum induceret: *λεθη* enim est oblivio.

Pari modo Beati obliviscuntur omnium tribulationum hujus vitæ, juxta illud *Isai.* lxxv, 16: «Oblivioni traditæ sunt angustia priores, et absconditæ sunt ab oculis meis; Septuaginta, *non ascendent super cor eorum*. Ubi S. Hieronymus: «Causa, ait, lætitiæ et confessionis veri Dei est, quia æterna angustiarum priorum succedet oblivio. Obliviscuntur enim pristina mala non oblivione memoriæ, sed bonorum successione, juxta illud: In die bona oblivio malorum.» Ad ditque: «Licet et possit hoc dici, quod in cœlo novo, et in terra nova, omnis conversationis pristina memoria deleatur, ne hoc ipsum pars malorum sit, prioris angustia recordari.» Verum contrarium est verius, uti dixi *Isaiæ* lxxv, scilicet Sanctos recordari præteritorum malorum ad majus eorum gaudium. Huc maxime respicit Siracides; unde et subdit:

ET IN FINE HOMINIS, DENUDATIO OPERUM ILLIUS. — Et accipi potest ut causale more Hebræo significans quia, q. d. Hora mortis inducit oblivionem deliciarum totius vitæ, quia in illa anima separata a corpore subit iudicium particulare, in quo omnia ejus opera a Christo iudice ipsi denudantur, dum ab eo sententiam damnationis, vel salutis accipit, illicque vel ad purgatorium, vel ad infernum, vel ad cœlum ducitur: ubi ex quantitate pœnarum vel præmiorum illico omnibus beatis vel damnatis liquet qualia et quanta fuerint eorum opera bona, vel mala. Tunc enim Christus aperit cuique suam conscientiam, ut videat omne quod egit, cogitavit, dixit per omnem vitam, juxta illud Pauli I *Corinth.* iv, 5: «Nolite ante tempus iudicare (multi enim hic videntur boni, qui in iudicio apparebunt mali, et vice versa), quoad usque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit

consilia cordium.» Unde Tigurina vertit, *acta hominis declarat ipsius exitus*; Syrus, in ultimo sui laudatur homo.

Porro Noster legit: *in fine et consummatione*, itaque legunt multi. Verum Complutenses legunt, *ante exitum*; unde sic vertunt, *consummationem hominis facit revelatio operum illius*; hæc enim in iudicio particulari ei consummationem, id est, ultimum finem et terminum, vel gehennæ, vel cœlestis gloriæ, adducit. Unde Vatablus vertit, *hominem consummat ipsius exitus*. Hæc sententia in purgatorio degentes cœlestis beatitudinis iudicium spectantibus non exspectantibus esse de statu gratiæ, suæque salute: hujus enim sententiam acceperunt in iudicio particulari: esto contrarium sentiant hæretici cum Luthero art. 38, et de Catholicis dubitent Dionysius Carthusianus *De Quatuor noviss.* art. 47, Rosensis art. 32, et Gersonius, lect. 1 *De Vita spirit.*: vide Bellarminum lib. II *De Purgat.* cap. vi.

30. ANTE MORTEM NE LAUDES (tanquam felice et beatum; græce enim est, *μη μακάριος*, id est, *beatifices*, hoc est, *ne beatum iudices vel dicas*, vertit S. Hieronymus, lib. II in *Isaiam*, et *Thren.* cap. i) HOMINEM QUEMQUAM, QUONIAM IN FILIIS SUIS AGNOSCITUR VIR. — S. Ephrem in *Serm. ascet. ad imitatem*. Proverb. legit, *ante obitum neminem prædicaveris beatum*. Additque antithesin, et ante mortem ne desperaveris quemquam. Hæc est conclusio ex præcedentibus quasi ex suis præmissis educta et collecta, q. d. Ex eo quod dixi, in fine et morte hominis fieri denudationem et iudicium operum illius, sequitur ante mortem neminem prædicandum esse beatum, tum quia, quamdiu vivit, potest mutari ex bono in malum, ex felice in infelicem; tum quia multi hypocritæ videntur boni coram hominibus, qui in iudicio a Christo declarabuntur esse improbi et reprobi; tum quia in morte fit iudicium, in quo Christus beatitudinem cuique pio decernet. Nos autem hoc Christi iudicium præoccupare non debemus, nec possumus, utpote multorum, imo omnium occulorum ignari. Unde addit quartam causam: «Quoniam in filiis suis agnoscitur vir,» q. d. In filiis miseris vel felicibus, et maxime piis vel impiis agnoscitur institutio bona vel mala parentis, et per consequens ejus felicitas, tum mundana, tum vera et divina. Ita S. Ambrosius *De Bono mortis*, cap. viii, ejus verba mox recitabo. Et S. Hieronymus, epist. ad *Lactam*, laudans eam quod patrem infidelem ad Christi fidem convertisset: «Sancta, inquit, et fidelis domus virum sanctificat infidelem. Jam candidatus est fidei, quem filiorum et nepotum credens turba circumdat. Ego puto etiam ipsum Jovem, si habuisset talem cognationem, potuisse in Christum credere.» Unde Tigurina vertit, *ante obitum beatum ne quemquam dixeris, quippe vir et liberis demum peroscitur, quia quales filii, talis pater iudicandus, bonorum bonas, malorum malus*:

id enim communiter accidit, licet non semper. Unde proverbium Hebræorum: «Sicut mater, ita et filia ejus,» quæ illam moribus æmulatur. «Peculiaris enim ratio est in filiabus, quia diutius et crebrius cum matre conversantur, quam cum patre filii,» ait Procopius. Et S. Ambrosius lib. III *De Virginitate*: «Quid potuit, ait, filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris?» S. Chrysostomus quoque homil. 10 *in epist. ad Colos.*, sub finem: «Solent, inquit, plerumque filioli ad rationem educationis componi, et mores imitari maternos. Esto filioli tuæ castitatis et modestiæ exemplar.» Ideo, ait noster Delrio *Adagio* 910, apud Senecam, cum Clytæmnestra adultera diceret Electræ filiæ suæ: «Quis esse credat virginem? respondit filia: Natam tuam? Et Peleus in *Andromacha* Euripidis: Imitantur enim materna probra. Et id videte mihi, o proci, bona prognatas matre ut ducatis filias.» Juvenalis quoque:

Scilicet expectas ut tradat mater honestos,
Atque alios mores, quam quos habet? Utile porro
Filiolam turpi vetulæ producere turpem.

Quocirca Palacius hunc locum sic explicat: «Gloria patris est filius probus, ut contra pars quædam infelicitatis est filios habuisse perversos. Ergo donec videas filios esse bonos, ne dum de patris perfecta felicitate constitue. Fateor Josiam fuisse sanctum, et Ezechiam, quin et Abraham, Isaac et Jacob, etc., quibus tamen quidam filii perversi successere. Ac ita fatendum est non nihil bonos patrum suorum splendorem obscurasse. Ergo laudes parentes sanctos, sed, si illis filii mali contigere, in laudibus frenum erit. Cur igitur nos Christiani Christi gloriam obscurare contendimus?»

Agnoscutur ergo vir ex filiis, tum propriis et carnalibus, tum potius mysticis et spiritualibus. Maxime enim patet virtus et sanctitas viri, cum post se virtutis suæ hæredes multos relinquit discipulos a se edoctos et institutos, juxta illud *Proverb. XIII*, vers. 1: «Filius sapiens doctrina patris.» Unde S. Gregorius Nazianzenus, *Orat. 12*, de *Monachis* loquens: «Horum, inquit, opes sunt in paupertate, possessio in peregrinatione, gloria in contemptu, potentia in infirmitate, fecunditas in cælibatu. Siquidem præstantiores factus illi sunt qui secundum Deum existunt, quam qui in carne ortum ducunt: qui in deliciis minime studere, pro deliciis habent; qui regni cælestis causa humiles sunt; qui in mundo nihil habent, et supra mundum existunt; qui in carne extra carnem vivunt; qui pro portione Dominum habent; qui propter regnum inopia laborant, et propter inopiam regnant.»

Mystice Rabanus per filios accipit bona opera; sed audi eum. integre: «Nimis absurdum est, inquit, militem adhuc in agone consistentem, quasi jam victorem laudare, cum incertum sit utrum

hostem vincat, aut ab eo vincatur; sed peracto bello, jam condigna palma consequitur triumphantem: ita et incertum est, cum viderimus quemlibet bene agentem, et justè viventem, utrum in eo usque ad finem perseveret, an non. Si autem in recta fide et bonis operibus perseveraverit usque ad finem vitæ, tunc jam laude dignus, et ab omnibus est prædicandus: quoniam in filiis vir agnoscutur, hoc est, ex bonis actibus hominis, meritum illius probatur.» Huc facit proverbium Arabicum, *cent. 2*, num. 20: «Omnis ovis suspenditur e calcaneo suo,» scilicet in macello, *g. d.* Omnis homo judicatur ex actionibus et fine vitæ suæ.

Hanc sententiam edidit Solon, unus e septem Græciæ sapientibus, trecentis pene annis ante Siracidem; Solon enim vixit sub Cyro, Siracides sub Ptolemæo Philadelpho, qui post Ptolemæum Lagi successit Alexandro Magno. Solon enim, ut refert Plutarchus in ejus *Vita*, Herodotus, lib. I, Laertius, lib. I, cap. I, «interrogatus a Cræso rege Lydorum ditissimo, num aliquem ipso feliciorum vidisset? respondit vidisse se Telum Atheniensem privatum hominem, sed qui, relictis liberis ac nepotibus bene institutis, feliciter obiisset diem. Interrogatus deinde, cui post illum tribueret elogium felicitatis, Cleofion et Biton Argivos fratres nominavit, qui cum summa pietatis laude defuncti fuerant. Indignatus rex: Nullo igitur, inquit, loco me ponis? Tum ille: Ego facile confiteor te regem opibus et imperio florentem; beatum autem non appellarim priusquam hanc vitam feliciter absolveris. Itaque cum a Cyro rege captus jussus esset ingenti pyræ imponi, ut vivus cremaretur, ter alta voce dicitur Solonem invocasse. Tum Cyri jussu interrogatus quid ea voce ter repetita sibi vellet, exposuit quæ ille olim de fortunæ variatione, veraque felicitate a Solone viro sapientissimo audisset. Per quæ, humanæ imbecillitatis Cyrus admonitus, jussit Cræsum ab igne servari, fuitque deinceps ipse apud Cyrum in summo honore; unica enim hæc sententia, et Cræsum morte liberavit, et Cyrum erudit, sortisque humanæ labilis admonuit.» Eandem carnem expressit Ovidius, lib. III *Metamorph.*:

Ultima semper
Expectanda dies homini est, dicitur beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Hæc isti Gentiles, spectantes tantam instabilitatem fortunæ et vitæ humanæ; at Siracides altius assurgit et spectat incerta exitus, ut ait S. Ambrosius in *Psal. 1*: «Ergo dum in hac vita quisquam est, non potest definita prædicatione laudari, qui patere adhuc possit errori. Ille autem qui vitam sine offensione concluderit, jure beati appellatione censetur, quia utitur consortio beatorum.» Idem, *De Institut. virginis*, cap. III: «Laudatio hominis non in exordio, sed in fine est. Nemo enim, nisi legitime certaverit, coronabitur.

Ideoque Sapiens tibi dicit: Ante mortem non laude: hominem quemquam. Qua ratione hoc dixit, superius docuit, dicens: Quia in fine hominis nudantur opera ejus.» Idem, lib. *De Bona mortis*, cap. VIII: «Ante mortem, ait, non laudaveris quemquam. Unusquisque enim in novissimis suis cognoscitur, et in filiis suis æstimatur, si bene filios suos instituit, et disciplinis competentibus erudit. Siquidem ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum.» Deinde aliam dans causam, subdit: «Tum quia unusquisque, quamdiu vivit, obnoxius est lapsui, nec senectus immunis a crimine. Ideo legis, quia Abraham mortuus est in senectute bona, eo quod in bonitate propositi sui permansit. Mors igitur vitæ est festimonium. Nam, si laudari ante gubernator non potest, quam in portum navem deduxerit; quomodo laudabis hominem prius quam in stationem mortis successerit? Et ipse sui est gubernator, et ipse vitæ hujus jactatur profundo: quamdiu in salo isto, tamdiu inter naufragia. Dux ipse, nisi confecto prælio non sumit lauream: nec miles arma deponit, nec stipendii mercedem adipiscitur, nisi hoste superato. Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gratia missionis est.» Idem alibi: «Lauda post vitam, magnifica post consummationem; tunc enim nec illi qui laudat, nocere ulla poterit adulatio, neque etiam laudatum ulla tentare poterit elatio.»

S. Hieronymus, lib. II in cap. III *Isaiæ*: «Ille, inquit, est doctor Ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum movet; qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem, nec prævenit sententiam judicis sui, dicente Scriptura Sancta: Ne beatum dicas quemquam hominem ante mortem. Sed et in alio loco legimus: Qui benedicit amico mane grandi voce, a maledicente nihil differt. Unde spernentis hominum judicia, nec laudibus eorum extollamur, nec obrectationibus contristemur, sed ingrediamur rectam viam, et tritas a sanctis Prophetis semitas, audiamusque Jeremiam prophetam dicentem: State in viis, et videte et interrogate semitas Domini sempiternas, quæ sit via bona, et ambulate in ea.» Cassianus, *Collat. VI*, cap. XVI: «Quidquid, ait, per diligentiam vel acquiritur, vel tenetur, potest etiam per negligentiam deperire, ideoque dicitur: Ne beatifices hominem ante exitum suum.»

Huc alludens S. Ephrem prologo *De Timore Dei*: «Ante obitum, ait, neminem prædicaveris beatum, et ante mortem ne desperaveris quemquam.» S. Bernardus, serm. 5 *in Festo omnium Sanctorum*: «Nos, inquit, in vita sua laudare hominem prohibemur. Quomodo namque secunda laudatio, ubi nec ipsa vita secunda? Non coronabitur, nisi qui

legitime certaverit (ait tuba illa cælestis), et legem certaminis ab ore ipsius legislatoris auscultat: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Nescis quis sit perseveraturus, nescis quis sit legitime certaturus, nescis quis sit coronam accepturus. Illorum lauda virtutem, quorum certam victoria est: illos devotis extolle præconiis, quorum secure potes adgaudere coronis.» Et inferius: «Tota interim beatitudo nostra est timere Deum, dicente Scriptura: Beatus homo qui semper est pavidus. Et item Psalmista ait: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.» Deinde vere beatos assignans, subjungit: «Cæterum longe aliter beati, in quibus perfecta charitas foras misit timorem, nec jam timent ambulantes in viis ejus, sed laudant potius habitantes in domo, sicut idem ait: Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Nostra interim festivitas, in timore Dei: nam illorum magis in exultatione et laude versatur. Inde est quod secure laudantur homines qui non sua jam vivunt vita, sed Dei; nam hominum utique vita tentatio est.» Idem, epist. 23 *ad Attonem*: «Laudare vos, inquit, et jure laudarem, si non me revocaret illa sententia: Neminem laudaveris in vita sua. Siquidem rem laude dignam egistis, sed ei laus adscribenda est a quo accepistis et velle et perficere, quod merito laudaretur. Deum ergo per vos et in vobis operantem glorificamus, qui tamen ad hoc vobis voluit glorificari, ut et vos redderet gloriosos. Qui nimirum, cum sit mirabilis in majestate sua, etiam in sanctis suis gloriosus apparere dignatur, ne solus habeat gloriam. Ipse nempe, licet sibi sufficiens ad omnem magnificentiam, quærit tamen gloriam et in sanctis, non ut augeat sibi, sed ut suis communicet.» Et inferius: «Vana quidem laus et seductoria, qua laudatur peccator in desideris animæ suæ, in quo qui me beatificat, in errorem inducit; sed non ideo prædicanda et multum commendanda erit illius vita, qui dicere potest: Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Cum ergo laudatur homo, in quo jam vivit, non ipse, sed Christus, non in sua laudatur, sed in Christi vita, ac per hoc non laudatur contra sententiam quæ prohibet hominem laudari in vita sua.»

Hoc sapiebat S. Franciscus, qui, ut ait S. Bernardus in *Vita*, cap. VI, «studebat boni Domini sui arcano pectoris condere, nolens patere gloriæ, quod posset occasio esse ruinæ. Nam sæpe, cum beatificaretur a pluribus, verbum hæc jusemodi proferebat: Filios et filias adhuc habere possem; nolite laudare ut securum. Nemo laudandus cujus incertus est exitus.»

TERTIA PARS CAPITIS,

DOCENS CUM QUIBUS SIT COMMUNICANDUM, CUM QUIBUS NON; UNDE
MONET CAVENDUM ESSE A DOLOSO, SUPERBO, MALIGNO ET EXTRANEQ.

NON OMNEM HOMINEM INDUCAS IN DOMUM TUAM :
MULTÆ ENIM SUNT INSIDIÆ DOLOSI. — Tigurina, *dolo-*
sorum; Syrus, *fraudenti*. Videtur legisse noster
Interpres *δολίου*, id est *dolosi*, ut habent nonnulli
codices Græci. Jam Complutenses et alii legunt
δολιου, id est *calumniatoris, deceptoris, delato-*
ris, diaboli: quanquam fere eodem redeat sen-
sus; suadet enim ne quemlibet in domum indu-
camus, nec in familiam et familiaritatem nostram
admittamus, nisi ante bene probatum et explo-
ratum, quia multi sunt dolosi, qui se insinuant in
domos, ut eas earumque heros et incolas ac sup-
pellectilem explorent, deprædentur, calumnien-
tur, accūsant, infamant, imo perdant et inter-
mant, uti Judas inductus in domum et familiam
Christi, eum dolose prodidit et perdidit. Per do-
losum maxime intelligit superbum, ut patet ex
ratione quam subdit vers. seq. Superbus enim
omnes modos et dolos quærit, quibus suum æmu-
lum deprimat et perdat, seque super illum exal-
tet. Huc facit proverbium: « Hospes indigenam, »
scilicet domo sua ejicit, ut eum servus adoptatus
ejicit filium, aut miles ascititius ejicit colonos. Et:
« Veniat qui proderit hospes, » *q. d.* Ille hospitio
excipiatur, non qui incommodum, sed qui com-
modi aliquid allaturus est. Porro quod ait: « Non
omnem hominem inducas in domum tuam, intel-
lige, ait Palacius, ut in ea familiariter et diu ver-
setur. Nam recipere quemvis ad unius noctis hos-
pitiū, cum debita observatione et obseratione
domus, non est prohibendum. Nam Lot non exa-
minabat quos hospites reciperet, et Christianos
D. Hieronymus laudat, quod in foro transeuntes
cogebant ad hospitium. » Imo ipse S. Hierony-
mus, *Apolog. contra Rufinum*, et alibi, profitetur se
omnes advenas hospitio in Bethlehem excipere,
præsertim cum Romani, Roma capta a Gothis, tur-
matim eo profugerunt. « Solos hæreticos, inquit,
non recipimus, quos vos solos recipitis. Proposi-
tum quippe nobis est pedes lavare venientium,
non merita discutere. » Et S. Ambrosius in *Lucam*:
« Non hæc, ait, cautio receptori datur, ne, dum
hospes eligitur, hospitalitas minuatur. » Vide
S. Chrysostomum, homil. *De Eleemosyna*, et *Col-
lat.* quæ habetur in fine *Comment. in epist. I
ad Corinthios*.

Igitur Siracides hic prudenter monet ne quis
amicitiæ vel utilitatis causâ in domum indu-
cat, vel in familiam recipiat ignotum, præsertim
suspectum, dulosum et vafurum; non autem vetat
hospitalitatem, præsertim pauperum, profugo-
rum et miserorum: illam enim suadet, imo su-

binde imperat, egestas, necessitas, charitas. Sed
tunc prudentia dicit ut tibi tuisque rebus caveas
quoad potes, ne inter tam varios et ignotos, e furto
aliove ejuspiani scelere damnari patiare. Memi-
mini, cum ante 40 annos junior apud parentes
rure agerem, in publica et communi Flandriæ
fame, quotidie greges pauperum et peregrinorum
stipem petentium ad domum nostram confluisse,
ac voluntate parentum me singulis eam erogasse,
nullo prorsus præterito: quod si nox ingrebat,
etiam hospitio excipiebamus; sed ea cautione, ut
data cœna in horreum vicinum cubaturos de-
duceremus, tum ut tantæ turbæ satisfaceremus,
tum ut domui et suppellectili nostræ caveremus.

Mystice: « Ne quemlibet inducas in domum
tuam, multæ enim sunt insidiæ diaboli, » ut ha-
bent Complutenses. Diabolus enim suggerit im-
piis, v. g. hæreticis, seditiosis, rixosis, libidino-
sis, ebriosis, invidis, detractoribus, etc., ut in do-
mos piorum se insinuent, earumque incolas sua
hæresi, seditione, rixa, libidine, gula, invidia,
detractione inficiant, lites et schismata concitent,
ac ad quælibet vitia impellant. Ita Eusebius Nico-
mediensis Arianus insinuans se in aulam Constan-
tini Magni, ipsum infensum S. Athanasio reddidit,
ejusque aulam, et Constantium filium Arianismo
imbuit. Sic Ariani irrepentes in aulam Valentis
Imperatoris eum Arianum, Eutyechiani Justinia-
num Imperatorem Eutyechianum, Leonomachi Leo-
nem Imperatorem Leonomachum effecerunt. Idem
hoc sæculo in Saxonia, Anglia, Scotia, Dania,
Suecia, Hungaria Calvinistæ et Lutherani præsti-
terunt.

Notum est exemplum diaboli, qui in specie fe-
minæ a via aberrantis noctu adit domum Ana-
choretæ, suam miseriam deplorans, poscensque
opem: a quo suscepta eum deinde ad libidinem
pertraxit, ac mox irridens evanuit. Unde et au-
dita est vox dæmonum ingenti clamore et ca-
chinno exprobrantium: « O qui te usque ad cœ-
lum extollebas! quomodo demersus es usque ad
infernum? » Quare confusus ille et desperans sæ-
culum repetiit, præda dæmonum factus. Ita *Vita
Patr.* lib. II, in Vita Joannis Abbatis. Deterior fuit
alius dæmon, qui feminam concitavit, ut simili
modo errabunda auxilium peteret ab Eremita; a
quo suscepta in cellam, dum ei ille familiaris
servit, cum ea fornicatus, adeo deinde indoluit et
indignatus est, ut ex dolore et pudore ad crimen
celandum eam occiderit. Similis est historia et
origo celebris templi B. Virginis Montis Serrati
in Hispania, ut patet ex libro hac de re edito. Hic

ergo verum est *Isaïæ*: *LIX, 5*: « Ova aspidum ru-
perunt et quod confotum fuerit, erumpet in re-
gulum. » Notus est apologus gallinæ serpentis
ovis incubantis, cui hirundo insultavit: « Quid
facis, o vesana? nullos excludes, qui cum ado-
leverint, a te primum injuriam auspicabuntur. »
Sic Tiberius Imperator, teste Suetonio in ejus *Vita*,
cap. XI, de Caio Caligula successore suo aiebat,
« se natricem populo Romano, Phaetontem orbi
ferrarum educare; » natricem serpens est aquam ve-
nenans, ut quicumque ex ea biberit emoriatur;
Phaeton fertur auriga currus solaris, quem cum
regere nesciret, solis radiis orbem exussit. Similis
est apologus ovis lactantis catulum lupi, quem
ita effert anonymus apud Adagiographum:

Lacto lupum uberibus propriis non sponte, sed horsum
Me demens adigit pastor ut id faciam.

In me rursus erit fera, postquam creverit ex me,
Natura haudquaquam vertitur officis.

Hinc Theocritus in *Hodæporis*:

Pasce canes qui te lanient, catulosque luporum.

Et illud Varronis apud Nonium: « Crede mihi,
plures dominos comedere servi, quam canes. »
Solutus enim fere Actæon a canibus legitur dilace-
ratus, cum multi domini a servis et domesticis
proditis, occisi et perditis sint. Nota est historia equi
Trojani, quem quia civis in urbem dirutis muris
invexere, hinc a Græcis in eo latentibus dolo
capta et eversa est Troja. Unde proverbium: Du-
reus equus, id est ligneus; *δούρειος* enim est lignum,
scilicet ex ligno hunc equum fabricarat Epeus
doli auctor.

32. SICUT ENIM ERUCTANT PRÆCORDIA FOETENTIUM,
ET SICUT PERDIX INDUCITUR IN CAVEAM, ET UT CAPREA
IN LAQUEUM: SIC ET COR SUPERBORUM, ET SICUT PRO-
SPECTOR VIDENS CASUM PROXIMI SUI. — Græcus de
more concisus et bimembris est; sic enim habet,
*perdix capta in cavea, sic cor superbi, et tanquam
speculator inspicit, vel observat casum*; hoc enim
est, *ἐπιθετικὸν πρῶτον*; pro quo Complutenses legunt,
ἐπιθετικὸν ἐπι πρῶτον, id est, *ascendens ad casum*; Syrus,
et sicut speculator intuens casum.

Dixit dulosum, qualis est superbus, non esse
inducendum in domum; nunc id probat quatuor
similitudinibus. Prima est: « Sicut enim eructant
præcordia foetentium » foetidos vapores et anhel-
litus: « sic et cor superborum, » subaudi, eructat
foetida, puta superba, injuriosa, injusta, maledica,
etc. Lucius Papa, *epist. 1*, Jansenius et alii pro *foe-*
tentium legunt, *fatantium*; sed eodem sensu. Mu-
lieres enim foetantes, id est, gravidæ et prægnan-
tes, gravem habent anhelitum, et ructus crebros
ex indigestis et crudis humoribus. Anima enim
circa ræturam formandum, nutriendum et augen-
dum occupata, minus habet caloris et virium quod
impendat stomacho et cibo concoquendo: unde
nascitur cruditas et indigestio, indeque ructus et
foetor. Igitur sicut stomachus debilis, ideoque

crudus, acidus et putidus, per os eructat suum
acorem et putorem, in quem cibos etiam opti-
mos vertit et corrumpit: sic et cor superbi licet
ei delicata candida amicitia realia opponas,
quia corruptum odio et dolo habet mentis stoma-
chum, jugiter tibi putorem malitiæ doli, nequi-
tiæ et insidiarum exhalabit. Hisce competit illud
Job. xx 14: « Panis ejus in utero illius vertetur in
fel aspidum intrinsecus. » Nam, ut explicat Ni-
cetas: « Ut aspis imbuta veneno, e ventre illud
evomit quando ei collibuerit: sic etiam hoc genus
hominum ex meditatio fallendi artificio, malo ac
fraudi sunt cæteris. » Aspisis enim, teste Eliano, e
ex eo Gellio, lib. IX, cap. xxviii, acerbam aspira-
tionem anhelat in obvios viatores, qua eos per-
cellit, stupefacit, mancos et impotentes reddit
Sic dolosi dolos et nequitiæ quas mente gerunt
exhalant in aliorum perniciem. S. Augustinus, in
Speculo, legit *infantium*; infantes enim quia abun-
dant pituita, quam exilis eorum calor non potest
consumere, hinc crebros emittunt ructus et ven-
tos. Verum omnes Bibliorum codices legunt *foe-*
tentium, vel fatantium.

Altera similitudo, eaque duplex est: « Sicut per-
dix inducitur in caveam, et caprea in laqueum,
sic et cor superborum. » Quid agit, aut patitur? De-
est enim verbum, quod proinde vestigandum e
supplendum est: primo, aliqui ex Græco active
hæc accipiunt; *Perdix venatrix* (Græcus enim
ὑπερδύει, quod Noster et alii passive accipiunt
pro *capta, vel quæ capitur*, Romana et alii active
accipiunt, vertuntque *venatrix*) in *cavea*: *ita cor
superbi, qui ut speculator observat casum*. Aucupes
enim, ut capiant perdices, unam perdicem cap-
tam, vel mansuefactam in cavea exponunt, quæ
alias sui similes ad se pelliciat, et in caveam ve-
retia fraudulentè inducat. Sic columbarii ha-
bent columbas et anates paleutrias, quæ alias ad-
vocant, et in retia inducunt, uti ex S. Basilio dixi
Osce VII, vers. 2. Sensus ergo est, quasi dicat: Si-
cut perdix venatrix venatur perdices, easque in
suum rete vel caveam dolose inducit: sic et cor
superbi molitur dolos, omnesque modos obser-
vat et venatur, quibus te in casum præcipitet.
Verum hic sensus Nostræ versioni, quæ habet *in-*
ducitur passive, non *inducit* active, minus con-
gruit.

Secundo ergo, Tigurinus clare tam græca
quam latina explicat et conciliat, dum ita vertit,
*ut perdix in caveam agitur, aut caprea implicatur
laqueo: ita cor hominis superbi tanquam speculator
observat quo dejiciaris, q. d.* Sicut perdix a vena-
tore agitur in caveam, ita et tu ageris a superbo
in ruinam. Et hoc modo prior expositio huic se-
cundæ aptari potest: perdix enim venatrix agit
alteram, quam venatur, in caveam, ac vicissim
altera a venatrice agitur in caveam.

Ubi nota apposite, dulosum hospitem compa-
rari perdicæ: primo, quia perdix est avis valde
vafra et dolosa, quæ suis dolis deludit aucupes.